



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Henr. Harphii Theologi Ervditiss. Ordinis  
Minorvm, Ac Rervm Divinarvm Contemplatoris eximij.  
Theologiæ Mysticæ Libri Tres**

**Henricus <Herpius>**

**Coloniæ, 1611**

De quinto gradu contemplationis, qui est in intelligentia, & dicitur propriè  
contemplatio, quæ requirit quatuor contemplantibus necessaria. Cap.  
XLVI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-37362**

quia in hoc mundo non timere, non dolere, non laborare, non periclitari, est impossibile: sed plurimum interest, qua causa, qua expectatione, quo termino quisque patiatur. Ecce turbat hic mundus, & amatur. Quod si tranquillus esset, formoso quomodo haberet, qui sic amplecteris scedum? Flores eius quomodo colligeres, qui manum à spinis non reuocas? Veruntamen cui Christus incipit dulcescere, necesse est mundum amarefcere. Sic Paulo *crucifixus est mundus, & ipse mundo*, quia nec Paulus mundi gloriam quærebat, nec à mudi gloria querebatur: sed se mundo, & sibi mundum esse crucifixum, gloriabatur. Et quia sancti viri nihil huius mundi appetunt, nullis procul dubio tumultibus in corde premuntur, & per hoc ad internam contemplationem magis apti redduntur. Quia dicit Gregorius, quòd vita contemplatiua est charitatem Dei & proximi tota mente retinere, ab exteriori actione quiescere, soli desiderio conditoris inharere, vt nil iam habere libeat, sed calcatis curis omnibus, ad videndam faciem sui Creatoris animus inardescat.

Galat. 6.

Vita contemplatiua qua sit.

*De quinto gradu contemplationis, qui est in intelligentia, & dicitur propriè contemplatio, quæ requirit quatuor contemplatiuis necessaria. Cap. XLVI.*

**I**ndica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie. Cantic. 1. Eia nunc homuncio, fuge paululum occupationes tuas, absconde te modicum à tumultuosis cogitationibus tuis, vaca aliquantulum Deo, & requiesce in eo: cubiculum tuum intra, & exclude omnia præter Deum, & quæ te iuuent ad querendum eum, scilicet per contemplationem saporosam. Nam cõtemplatio, secundum Augustinum, est illa species, quæ rapit omnem animã desiderio sui, tanto ardentior, quanto mundior, & tanto mundior, quanto ad spiritualia surgentem, & tanto ad spiritualia surgentem, quanto carnalibus desiderijs, & terrenis affectibus morientem. Qui enim à Domino Iesu didicerunt mites esse & humiles corde, plus cogitando, orando, & contemplando proficiunt, quàm legendo & audiendo. Quintus, ergo gradus contemplationis est in intelligentia, quæ est ea vis animæ, quæ immediatè supponitur Deo. Cernit enim ipsum summum bonum verum, & verè incommutabile bonum. Vel, intelligentia est ea vis animæ, qua de diuinis, quantum est homini possibile, cognoscitur ad arcana cœlestia penetranda: quæ paucorum hominũ est, vt dicit Boetius:

Matth. 11.

Intelligentia.

Vnde:

Vnde intelligentia in actione sua excedit intellectum, & est in ea perfectior gradus contemplationis. Quia, secundum Richardum, per intelligentiam sinus mentis in immensum expanditur, & contemplantis animi acies acuitur, ut capax sit ad multa comprehendenda, & perspicax ad subtilia penetranda: nec contemplatio potest esse sine viuacitate quadam intelligentiae. Nam quoties mens contemplantis ad ima dilatur, quoties ad summa eleuatur, quoties acuitur ad scrutanda diuina, quoties agilitate mira & penè absq; mora rapitur per innumera, ex quadam vi intelligentiae hoc esse non dubitatur. Et iste gradus contemplationis perfectior est omnibus alijs precedentibus, quia in eo pura intelligentia operatur, quae ad contemplationem diuinae maiestatis admittitur. In hoc igitur gradu humana mens ad perfectum gradum diuinae contemplationis admittitur. Nam contemplatio, secundum Richardum, est liberae mentis perspicacia in sapientiae spectacula directa, in admiratione suspensa. In qua descriptione quatuor innuuntur necessariae contemplantis, per quae contemplatio differt à cogitatione, meditatione, speculatione, & intuitiua cognitione, quae quenda ordine gradatim habent inter se, & gradatim dirigunt in diuinum aspectum. Nam cogitatio, quae oritur ex imaginatione, transit & terminatur in meditationem. Meditatio verò, quae oritur ex ratione, transit & terminatur in speculationem. Speculatio siquidem, quae oritur partim ex ratione, & partim ex intelligentia, transit & terminatur in contemplationem. Contemplatio denique, quae oritur ex intelligentia, transit & consummatur in intuitiuam cognitionem. Primum igitur necessarium contemplatiuis, est liber contemplationis motus à nullo impeditus: & ideo spiritus contemplatiuis debet esse sine peccato: quia *qui facit peccatum, seruus est peccati*, & eius vinculis ligatur, ne sursum feratur. Debet etiam liber esse à desiderio & cura inferiorum, quia contemplatio libero volatu, quocumque fert eum imperus spiritus, mira agilitate circumferatur: & sic differt à cogitatione, prout patet supra. Secundum contemplatiuis necessarium est, quod oculus contemplationis sit perspicax, id est, gratia sanatus. Pro quo notandum, quod oculus animae mens est rationalis, vel apex mentis. Aspectus mentis est ratio. Intellectus autem est visio. Hos igitur oculos sanos habet, cum non solum à mortalium culpis & cupiditatibus est mens purgata, sed etià ab imaginibus remota. Aspicit verò, cum oculos in Dei lumine figit. Vider autem, cum in illa contemplatione cōspicit quanta sunt gaudia, quanta laetitia, serenitas, &

Contem-  
platio.Quatuor  
necessaria  
contempla-  
tibus.Motus li-  
ber.

Ioan. 8.

Oculus ani-  
mae.

iucunditas, & sic de cæteris. Sanitas ergo facit illam serenam, aspectus ætæternam, visio beatam, quæ est finis aspectus. Cùm igitur contemplatio est mentis perspiciacia, & perspiciacia est actus intelligentiæ: quæ intelligentiæ, ut dictum est, ea vis est anima, quæ Deo supponitur immediate, quæ de diuinis, quantum homini possibile est, cognoscitur. Ideo contemplatio meditationem excedit, quæ oritur ex ratione, quæ tantum intelligentiæ rationem excedit. Tertium contemplatiuis necessarium est, quod oculus contemplationis in æternæ sapientiæ spectacula sit directus. Vnde patet hic non accipi contemplationem, ut præcisè est actus intellectus, sed etiam ut saporosam dilectionem includit. Nam à sapore dicitur sapientia. Et obiectum sapientiæ principale ac primum est ipse Deus, sub ratione qua Deus est verum excitatiuum voluntatis ad eius saporosam dilectionem. Actus sapientiæ est contemplari Deum, non quocumq; modo, sed ex dilectione, cum quadam suavitate in affectu. Et per hoc contemplatio differt à speculatione: quia, secundum Augustinum, speculatio dicitur, cùm aliquid non in se, sed per imaginem suam videtur, vel ænigmaticè, id est, obscure. Vnde speculationem propriè dicimus, quando per speculū cernimus. Contemplationem verò, quando veritatem ferè sine aliquo inuolucro, vmbra- rumq; velamine quasi in sui puritate videmus. Hinc cōtemplatio clariorem habet aspectum, & sapidiore gustum: nimirum cùm sapientiæ spectacula sint cognitio veri, & amor, siue sapor boni. Ex amore namque oritur sapientia, quæ prorumpit in lumen cognitionis & saporem gustationis: sicut ex calore prorumpit lux & flāma. Quartū contemplatiuis necessarium est, ex admiratione causata mentalis suspensio. Dum enim humana intelligentiæ (ut dicit Richardus) diuino lumine irradiata intelligibilium contemplatione suspenditur, & in eorum admiratione ad modū auroræ distenditur, quanto semper ad altiora vel mirabilia ducitur, tantò amplius & copiosius dilatur: & quanto fit ab infimis remotior, tantò in semetipsa purior, & ad sublimia subtilior inuenitur. De quo suspensio dicitur apud Iob: *Suspendium ele- git anima mea*. Super quo dicit Vercellens. quod suspensio est extensio mentis in æterna spectacula, ut cùm fieri potest, nunquam ex intentione voluntatis, sed sola interpolatione necessitatis, acies mentis inde fleatur, ut dicat cum Psalmista: *Oculi mei semper ad Dominum*. Per hanc igitur suspensionem contemplatio differt ab intuitiua cognitione: quia suspensio dicit quendam violentam eleuationem, dum ani-

Sapientia  
vade.

Speculatio

Iob 7.  
Suspendiū  
mysticum.

Psal. 24.

ma naturæ suæ passibilitatis terminos supergreditur, propter quod frequenter ad inferiora dilabitur. Dicit enim Gregorius, quod anima à contemplatiua vita, infirmitatis suæ pondere victa lassatur, & tanto celerius labitur, quanto carnis claustra supergrediens, super semetipsam ire conatur. Sed anima intuitiue Deum cognoscens, nunquam ad inferiora relabitur, sed sine intermissione & fatigatione Deum in æternum delectabiliter intuetur: quod in corpore corruptibili fieri non potest. Deus enim quia semper vniformis & æqualiter bonus & pulcher est, habens in simplicissimè omnem speciem desiderabilè, & secundum omnia totus desiderabilis existens, intimè & irreuocabiliter in se trahit omnium suorum comprehensorum desideria, vt dicit Dionysius. Omnes igitur prædictæ differentiæ sunt secundum clariorem & minus clarum affectum ad Deum, & quodlibet prædictorū terminatur in sequens se, tanquam in perfectius. Vnde contemplatio proficiens tandem terminatur in intuitiuam cognitionem tãquam in suam perfectionem. Deniq; hic gradus contemplationis mirabiliter decorat animam, quia dicit Hugo, quod cõtemplatio est deifica similitudo. Dum enim per eum illuminati lucentes fiunt, quodammodo ipsius luminis lucentis similitudinem accipiunt. Vnde meritò sunt annumerandi cum ordine Cherubin, eò quod habent omnimodam cognitionem intellectus attracti dignatione diuina, quo non valet ascendere per se, & affectus attracti, attractionem tamen & summitatem intellectus attracti non excedentis. Simul enim trahuntur, & quasi coambulant ipse affectus & intellectus vsque ad nouissimum defectum intellectus, quem affectus attractus non excedit.

*Sextus gradus contemplationis est in gustu sapientiæ, sine quo gustus alij sensus spirituales languescunt. Et de duplici gustu spiritus. Cap. XLVII.*

**I**N dicam tibi, quæ diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie: *Ubi pascas*, id est, à quibus pastum inuenies, quia in bonis actiuis: & *ubi cubes*, id est, internam quietem inuenies, quia in veris cõtemplatiuis. Nam actiui sunt eius cœnaculum, & contemplatiui cubiculū: & hoc in meridie, id est, in contemplationis feruore. Nam secundum Hugonem, tres sunt horæ contemplationis. Prima est cogitatio, quasi manè minus habens splendoris & feruoris. Psal. *Manè astabo tibi,* & videbo, quoniam non Deus volens iniquitatem tuam. Secunda hora est

Horæ contemplationis.

psalm. 3.

li 3: medi-